

R.K.
435
48.

II m
956

PROGRAMMA

DE

FELICITATE DEA EX NVMIS ILLUSTRATA



PANEGYRI NATALITIAE

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

CHRISTIANI GVNTHERI

PRINCIPIS SCHWARZBURGICI

E QVATVOR S. R. IMP. COMITIBVS, COMITIS HOHNSTEINI,
DYNASTAE ARNSTADII, SONDRERSHVSÆ, LEVTENBERGÆ, LOHRAE,
CLETTENBERGÆ, REL. ORDINIS HVBERTI PALATINI
EQVITIS REL.

PATRIAE PATRIS CLEMENTISSIMI

PRAEMISSVM

A

M. IO. GOTTLIEB LINDNERO

RECTORE,



ARNSTADII, STANNIS ORPHANOTROPHEI, d13ccclxx.

R. 59





I.

Si quando gentes, a vero Dei cultu alienae, in adstruendis nouis numinibus, si non excusationem, at indulgentiam merentur; tum sane hac venia videntur esse dignissimae, cum virtutes et beneficia, ab ipso Deo auctore profecta, in numerum Deorum referendas censuerunt. Nam quod quidam eo impietatis sunt prolapsi, vt monstra deformia, reptilia et natantia, plantas, quin et vitia et malas aegritudines sibi fingerent, quibus augultum diuinitatis nomen attribuerent; id vero, iusto Dei iudicio est factum, vt, quoniam naturae praestantissimae Maiestatem ex operibus, in quibus se manifestarat apertissime, agnoscere noluisse, suae ipsi prauitati ac peruersitati relinquerentur. Reliqui vero, mentis imbecillitate praepediti, cum ad ipsum purissimae Lucis fontem visu clariorem, attollere oculos non possent, haeserunt in eius operibus ac beneficiis, oculis omnium vbique expositis, quemque auctori debebant honorem, cum donis ab illius munificentia in genus humanum collatis, temere detulerunt.

2. Iam vero *Felicitatem* nemo est, quin in beneficiis diuinis, abs quouis homine expetendis, ponendam esse putet: neque mirum, si populus, religionum superstitionibus vel maxime deditus, qui *Fortunam, Spem, Securitatem, Providentiam, Iustitiam, Aequitatem, Clementiam, Constantiam,*

am, Virtutem, Victoriā, Nobilitatem, Pacem, Abundantiam, Concordiam, Pudicitiam, Foecunditatem et id genus alia Virtutum beneficiorumque diuinorum nomina Catalogo Deorum Dearumque inserere non dubitauit, eundem honorem FELICITATI tribuendum censuit.

3. Sed de credita vulgo *Felicitatis* diuinitate dubium mouit ROSAL. SEMLERVS V. S. R. in notis ad Montisfalconii *Antiquitates Graecas et Romanas*, a Schatzio in Compendium redactas Vol. I. P. II. Libr. III. Cap. I. §. 5. quo loco monet Vir Doctissimus: „Saepius quidem in numis
 „antiquis occurrere: *Felicitatem Publicam, Augusti, Temporum* etc.
 „neque tamen ideo statim existimandum, eam pro persona, diuinitate praedita, habitam, sed talia ficta potius, quo rem a sensibus quam longissime
 „remotam, nec nisi mente animoque percipiendam, sensibus quodammo-
 „do subiicerent, felicitatemque a fortuna diuersam esse docerent.” Iam equidem V. D. lubentissime concedo affirmanti, non omnia, quae a gentibus profanis, sub aliqua figura, depicta, aut lapide lignoue efformata sunt, pro numinibus, quales Iuno, Mercurius fuerunt, fuisse habita, sed tales figuras saepius fuisse symbola rerum sensus haud ferientium? Quoniam, si liceret has formas in Deorum Dearumque numerum referre, breui adfuturus esset *Pierius*, petiturus, vt, quod aliis figuris iuris esset, idem *Hieroglyphicis* suis, ne denegetur. Quod quo iure Vir Doctissimus disputet, age paucis videbimus.

4. Sed quoniam in argumento ex historia et antiquitate desumpto res non leuibz ratiunculis sed testibus idoneis est peragenda, produco diuinitatis testem AVGVSTINVM, qui, de *Ciuit. Dei* Libr. IV. Cap. 18. *Quid Felicitas? dea est, aedem accepit, aram meruit, sacra ei congrua persoluta sunt.* Hominis Christiani, inquit, testimonium audio, qui, *πολυθεότητα* gentium profanarum, quam impugnare susceperat, derisurus, omnia vndique corradit, quae ad rem suam facere existimauit. Fieri nonnunquam solere, vt homines, studio causae adducti, iis, contra quos dicere adgrediuntur, sint iniquiores, equidem haud infitior; at miror tamen qui tam im-



pudens esse potuerit Augustinus, ut non solum de diuinitate confiteretur, hoc enim poterat esse erroris ex conspectu figuræ, qua Felicitas depingi solet, concepti: sed etiam de *aede*, quam acceperit; de *ara*, quam meruerit; de *sacris* ei persolutis. Quæ, si in gratiam religionis suæ confinxit homo acerrimus, pessime sane veritati coelesti consulit; sin autem, quod sole clarius me demonstraturum spero, hæc non ficta a Praefule Hipponensi, sed ut erant, ita tradita sunt, tum non vereor, ne viri fides sit suspecta. Hæc vero ficta esse quo minus credamus, prohibet testimonium PLINII Maioris, qui *Hist. Nat. Libr. XXXIV. Cap. 8*: Signorum meminit, Praxitelis opera elaboratorum, *quæ ante FELICITATIS aedem fuerint*. Idem *Libr. XXXVI Cap. 5*: Thespiadum mentionem facit, quæ *ante eandem aedem* fuerint. Poteram etiam commemorare, quæ idem auctor *Libr. XXXV Cap. 12* refert: *Arcesilao a Lucullo H—S. LX signum Felicitatis locatum*, nisi intelligerem, posse alicuius virtutis signum esse absque credita eiusdem diuinitate. At si templum habuit, et quis est qui hanc veritatem, post alatum Plinii testimonium, in dubium vocare audeat? habuit et aram, habuit etiam sacra ei persoluta, quoniam sine his rebus templum ne cogitari potest quidem; est etiam, quod exinde, necessaria quadam consecutione, conficitur, peculiaris Dea, nec tantum rerum ex voto fluentium symbolum.

5. Expedita quaestione de credita Felicitatis diuinitate, reliquum est, ut videamus, quid sub hoc vocabulo intellectum vulgo vulerint. Qui subtilius hæc disputant philosophi, talem plerumque felicitatem instituunt in sermone, qualis in solum Sapientem cadit. Sed hanc notionem vulgi non esse, vel me non monente, quibus facile videt, qui Felicitatem inesse iis rebus putat, quæ vitam beatam, optabilem ac nullius rei indigam præstant, velut PLATO ait *de Leg. Libr. II*: λέγεται γὰρ ὡς ἀριστον ὑγιαίνειν, δεύτερον δὲ κάλλος, τρίτον δὲ πλοῦτος. Ac quoniam huius Felicitatis capaces quosuis existimabant, hinc est, quod passim in numis legimus e. g.: FELICITAS ROMANORVM in numo aureo Constantii apud Oeconem in Numismati-

matibus Imp. vel, qui hunc suppleuit *Biragum*. FELICITAS ꝑ. R. apud eundem, *in numis Hadriani, Constantini etc.* FELICITAS IMPERII, apud Occonem *in numo Diadumeni*; FELICITAS REIPUBLICAE, apud Oiselim *in Thefauro Numismatum Antiquor. Tab. LVIII. N. 7.* FELICITAS SAECVLI apud eundem *Tab. LVI. N. 6. II. Tab. LVII. N. 7. 8.* apud Occonem *in numo Traiani* et aliis locis passim; *in numo Seueri* apud Morellium *in Specimine vniuersae Rei Numariae antiquae. Tab. VI. p. 66.* FELICITAS TEMPORVM apud Oiselim *l. c. Tab. LVII. N. 1. 9. 10. 12. Tab. LVIII. N. 1.* FELICITAS PVBLICA, apud eundem Oiselim *l. c. Tab. LVI. N. 7. Tab. LVII. N. 2.* apud Occonem *in numo Galbae* et pluribus aliis. FELICITAS ORBIS TERRARVM, apud Occonem et Goltzium. FELICITAS PERPETVA, *in numo Constantis* apud Occonem. FELICITAS PROVINCIARVM, *in numo Postumi* apud Occonem. FELICITAS IMPERATORVM, *in numo Philippi* apud Occonem. FELICITAS AVGVSTI apud Oiselim *et Occonem l. c.*

6. Sequitur, vt de symbolis Felicitatis videamus. Communissime in numis repraesentatur sub figura mulieris stantis, quae sinistra manu Cornu Copiae, dextra caduceum tenet. Talem eandem in fronte huius libelli delineandam curauimus ex numo *Hadriani*, apud Oiselim *l. c. Tab. LVI. N. 5.* cum inscriptione P. M. TR. P. COS. III FEL. AVG. S. C. (*Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate, Consul Illitium, Felicitas Augusti, Senatus Consulto.*) Conf. etiam *Patini* Numos imperiales aereos medii et infimi moduli. Siquidem in Prouerbio, cum affatim omnia superesse significamus, *Cornu Copiae, Ἀμαλθείας κέρας* dicimus, de quo Erasmus *in Chiliad.* et Pierius *Hieroglyph. Libr. XV. p. 145.* *Caduceus* autem, vel insigne est *Pacis*, qua sine nulla felicitas stabilis ac perpetua esse potest, vel florentis mercaturae artiumque liberalium, vel felicitatis denique citra humanam operam, quasi diuinitus, obtingentis. De qua *virgula diuina* CICERO, *Officior. Libr. I. Cap. 44.* et HOMERVS, *Hymno in Mercurium v. 526,* vbi Apollo inducitur Mercurium ita alloquens:



Ὀλβη καὶ πλάτη δάσω περιμαλλέα ῥάβδον.

Quo nomine quid aliud, nisi Caduceum, intelligit? Quod qua ratione efficiat, pulchre ostendit *ARRIANVS Epictet. Libr. III. Cap. 20*: — — τῷ τῆ ἐρμῆ ῥαβδίῳ ἃ θέλεις ἄψαι, τῷτο χρυσῶν ἔσαι. *Andr. Morellius l. c. p. 63. ex Ant. Augustini Dial. II. notat: Cornu copiae adesse, quo terrena bona designentur, sicut Caduceo coelestia, ac utraque possidentem demum felicem habendum esse ac fortunatum, quod mihi subtilius, quam verius, disputatum esse videtur. Sed variant interdum numi, et mulier v. c. in numo Iuliae Mammatae apud Oiselim l. c. Tab. LVI. N. 8 repraesentatur sedens in cathedra. Apud eundem N. 7 sinistro cubito columnae innixa. Quemadmodum apud de Bie in Imper. Rom. Numismat. aur. Tab. XXXVIII, N. 10, ubi persona Felicitatis columnae innititur, tanquam in signum stabilitatis et securitatis. Item N. 9 dextro pede globo insissens. Interdum alterum horum signorum deest, vel Cornu copiae, ut in numo Iuliae Mammatae apud Oiselim Tab. LVI. N. 7, vel Caduceus, cuius loco est vel globus, ut in numo Antonini Pii apud Oiselim l. c. Tab. LVI. N. 10 vel ramus oleae, ut in numo Domitiani, apud eundem Tab. LVI. N. 5. Si quando Fortuna turriculam seu fastigium refert in capite, eadem, Pausania teste, vocatur τύχη Φερέπολις, qualem exhibet numus aureus de Bie Tab. XLV, N. 9.*

7. Fit etiam nonnunquam, ut, sine figura humana, Felicitas delineetur per duo copiae cornua ex aduerso decussatim posita cum spica intermedia, v. c. in numo *Seueri*, apud Oiselim Tab. LVII. N. 2. *Seuerus* solus ex omni memoria, et ante et postea, ex Africa imperator fuit, *Eutropius Libr. VIII Cap. 10*. Nihil autem Africa feracius frumenti, vnde passim apud poetas *Libycae segetes* decantantur. Quo nomine non Libya solum proprie sic dicta, sed vniuersa Africa denotatur, vid. *Chr. Cellarii Notit. Orbis Ant. T. II Libr. IV p. 761*. Spicae autem, quod ex numis *Eresiorum* apud *Goltzium* patet, anni agrique fertilitatem atque vbertatem designant.



gnant. Ac fortasse ex hoc numo illustrari ea possunt, quae apud *Spartianum* leguntur: *Ad Africam legiones misit, ne per Libyam et Aegyptum Niger Africam occuparet, ac populum Romanum penuria rei frumentariae perurgeret.* Item *C. Pescen. Nigri* numus, sine spica intermedia, visitur apud *Biragum* et *Philipp. Argelatum in Numismatibus Imperator. Romanor.*

8. Quantum momenti habeant ad publicam perpetuamque felicitatem, matrimonia laeta prole foecunda, optime vidit *Octavius Augustus*, cum legem commendaret aequae atque emendaret *Papiam — Poppaeam*: de poenis caelibatus et praemiis *πολυπαίδίας*; et *Iuliam*: de maritandis ordinibus, conf. *Dio Cassius Libr. LVI p. 656.* et *Suetonius Aug. cap. 34.* Neque haec pars Felicitatis omissa, quo minus in numis celebraretur. Extat apud *Oiselim in Thes. Numism. Antiqu. Tab. LVII. N. 10* numus *Antonini Pii* cum Inscript. TEMPORVM FELICITAS, COS. IIII. Ibi conspiciuntur duo copiae cornua ex aduerso decussatim posita, quorum singulis caput puerile, cum caeteris frugibus, exsurgit, cusus, ut *V. D.* videtur, eo tempore, quo filiam *Faustinam M. Aurelio* matrimonio daret. Has nuptias ipse, *Iulio Capitolino* teste, valde desideravit, Temporumque Felicitatem ex istis pendere voluit. Extat apud eundem l. c. *N. 11* numus *Drusi*, filii *Tiberii*, sine inscriptione ille quidem, sed in quo gemina cernuntur copiae cornua, ut in praecedente *Antonini* numo, cum *Caduceo* in medio posito, cusus in memoriam duorum gemellorum, ipsi ex vxore *Liuilla* natorum. Obuius etiam est numus *Faustinae*, natiuitatem gemellorum *Commodi* et *Antonini*, quasi saeculi Felicitatem promittentium cum Inscriptio: SAECVLI FELICITAS. In medio est lectulus, cui insident duo infantuli nudi, apud eundem *Oiselim Tab. LVII. N. 8.* Eodem loco *N. 9* numus est eiusdem *Faustinae* iunioris, cum Inscript. TEMPORVM FELIC. Cernitur *Faustina* cum liberis suis, quorum duos, nudos, vlnis gestat; quatuor, vestibus induti, manusque ad eam tendentes, ad latus vtrumque circumstant, quod pro Temporum Felicitate haberetur *Augusta* domus tam numerosa prole beata.

9. Con-



9. Concordia quemadmodum paruae res crescunt; discordia magna dilabuntur: ita Augustorum ea praecipua semper cura fuit, ut filiis ex se natis concordiam vellent esse commendatissimam. Quae sicut firmissimum robur est imperii, ita nihil aequae ad Saeculi felicitatem valet. Vidit hoc *Seuerus*, qui, apud Oiseliū l. c. N. 7 numum cudi iussit, cum Inscr. FELICITAS. SAECVLI. Ad sunt tria capita, *Seueri* nimirum Imperatoris, cum corona laurea, et filiorum eius *Caracallae* ac *Getae*; Felicitatem imperii, ex eorum concordia, designantia. Sed frustrata est spes optimum Imperatorem, quam de concordia filiorum sibi conceperat. *Caracalla* enim, homo aliquanto asperior et minax, Herodiano teste, *Libr. III. Cap. 15*: *δώροις καὶ μεγάλας ὑποχέςεσι τὲς τῶν στρατοπέδων ἡγεμένους ἐθεράπευεν, ὅπως ἀναπέσειαν τὸν στρατὸν ἀποδείξαι μόνον ἀυτοκράτορα.* Quod cum persuadere illis haud posset, *ἀνάγκη μᾶλλον ἢ γνώμη, εἰς ὁμόνοιαν καὶ Φιλίαν, ἐπίπλαστον μᾶλλον ἢ ἀληθῆ, περιήγετο.* Sed, gliscente in dies magis odio atque discordia, *Caracalla*, postquam insidiis clandestinis nihil proficit, fratrem ferro adgreditur, et *Γέτας τρωθεὶς καιριῶς, προσχέας τὸ αἷμα τοῖς τῆς μητρὸς σῆθεσι, μετήλλαξε τὸν βίον.* Adeoque tanti imperii fortuna duos non cepit. Quam vero tristitia ciuitati prouinciisque haec dissidia fuerint fufius narrant Herodianus et Xiphilinus. Verissimum omnino est, quod de Maximiniano et consorte imperii Diocletiano refert, *Claudius Mamertinus* in Panegyrico p. 93: *Ambō vos estis largissimī, ambo fortissimī, atque ab hac ipsa vestri similitudine magis magisque concordēs* — et p. 94: *Vestra hoc Concordia facit, inuictissimī, Principes ut, in tanta aequalitate successuum, etiam Fortuna respondeat.* b

10. At vero penes vnum si est summa imperii, nec ii, quos in partem curarum vocauit, suo quisque loco, sedulo ac fideliter id, quod suarum partium est, peragunt, non potest tamen sperata felicitas obtineri. Velut nauis, si nauclerum habeat rei nauticae peritissimum, ita, ut in arte sua vel Palinurum vincat, remigibus autem vtatur vel inertibus ac lentis vel insci-

tis



tis ac temerariis, in periculo est, ne aut scopulis illidatur, aut in breuibus haereat; cum e contraria parte nauis ab his omnibus bene instructa, saepius e praesentissimo interitus periculo sit deliberata: ita ciuitas, nisi ministrorum opera fideli subleuetur, salua esse, ne sub optimo quidem Principe, potest. Aut ego fallor, aut haec fuit mens eorum, qui felicitatem temporum sub symbolo nauis repraesentatam voluerunt. Spectat huc numus *Hadriani* apud Oiselum l. c. *Tab. LVI. N. 12* et *de Bie* in Imperatorum Romanorum Numismatibus aureis *Tab. XX N. 11.* cum Inscr. FELICITATI, AVGVSTI. Symbolum est *Triremis*, siue *Nauis praetoria*, plenis velis vecta, et a remigibus propulsa, cum Gubernatore ad Clauum in puppe. Item numus *Elagabali*, ibidem *Tab. LVII. N. 1,* it. apud *de Bie l. c. Tab. XXXVII. N. 4* cum Inscr. FELICITAS. TEMP. Conspicitur hic *Nauis* cum velo et remigibus, nec non Gubernatore ad clauum.

II. Confert quoque ad Temporum Felicitatem haud parum opportuna et idonea tempestas, aequabiliter per quatuor anni tempora diffusa. Hanc felicitatis partem spectat numus *Constantini Magni* apud Oiselum *Tab. LVIII. N. 1.* it. *de Bie l. c. Tab. LI. N. 8.* cum Inscr. FELICIA. TEMPORA. vbi comparent *quatuor Pueruli*, quibus quatuor anni tempestates designantur. *Primus*, brachiis manibusque gesticulans, *Veris* tempus refert; *alter* falcem messoriam manibus tenens, *Aestatem* denotat; *tertiuus*, sinistra canistrum frugibus plenum, et dextra leporem ferens, *Autumnium*; *quartus* vestibus ac calceis contra frigus munitus, dextra pedicam, sinistra auem captam tenens, *Hiemem* designat. Quatuor hi Pueruli etiam conspiciuntur, eodem habitu, in numo *Caracallae* apud Morellium: in *Specimine Rei Numariae Antiquae Tab. XII.* cum Inscr. ΔΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΕΤΤΥΧΕΙΣ ΚΑΙΡΟΙ. nisi quod *Veris* index puer canistrum floribus refertum in capitis vertice gestat. Ac nisi fallor, in numo *Constantini M.* idem fuit typus, sed canistrum fortasse detritum, manus certe elatas supra caput puer tenet, vt in numo *Caracallae*.

12. Praeoptanda quidem bonis omnibus pax, tanquam ad Felicitatem saeculi tutior,

--- Pax optima rerum
Quas homini nouisse datum est: pax una triumphis
Innumeris potior. ---

At si secure, si cum dignitate, si sine iniuria viuere in pace nequeas, bellum iustum et necessarium utique praefendum. Pace Felicitatem promoueri, in iis numis indicatur, in quibus *Felicitas*, pro caduceo, oleae ramum



tenet, v. c. in numo *Domitiani* apud Oiseliu*m* l. c. *Tab.* LVII. N. 5. et in numo *Traiani* apud Occonem p. 210. itemque in numo *Aurelii* apud eundem. Adde numum *M. Cassii Latieni Postumi*, vnus ex tringinta tyrannis, in quo binae effigies, pectore tenus, *Victoriae* et *Pacis*: vna alata palmam tenet; altera brachio exserto fertum et oleae ramum fructu suo onustum. Sed eandem felicitatem etiam bello quaeri, patet numo *Constantii* apud Oiseliu*m* l. c. *Tab.* LVIII. N. 4 et de *Bie* l. c. *Tab.* LIII. N. 9. cum Inscr. FEL. TEMP. REPARATIO. Cernitur ipse *Constantius* Labarum tenens et clypeum, praecurrentibus duobus captiuis: Confer. numus *Constantini M. Magnentii* et *Theodosii* apud eundem *Tab.* LVIII N. 6. 7. 9. it. *M. Aurelii Antonini* apud Occonem p. 293 cum Inscr. FELICITATI AVG. vbi *Tiremis cum Neptuno*. Item numus *M. Aureli. Seueri* apud eundem p. 417. cum Inscr. FELICITATI POPVLI ROMANI. Quatuor figurae, quarum duae porrigunt dexteras, gestantes globum. In medio earum signum est militare, duo item milites galeati, post singulos singuli adstantes. Pertinet huc numus *Traiani* apud Morelliu*m* *Tab.* V. cum Inscr. VIRTVTI ET FELICITATI. Mulier galeata lanceam et parazonium tenens, et Felicitas caduceum et cornu copiae gestans, stantes. Virtus spectat ad victorias eius Dacicas et Parthicas; altera figura ad Felicitatem ex victoriis redundantem.

13. Merentur etiam, in partibus Felicitatis, locum *Iustitia* et *Pietas*. Facit huc numus *Constantini M.* aureus cum Inscr. FELICITAS REIPUBLICAE PT. R. Figura est sedens pro tribunali cum duobus assistentibus et duobus aliis genibus flexis procumbentibus coram tribunali, apud Occonem p. 535. Item numus *M. Claudii Taciti*, vnus ex XXX tyrannis, cum Inscr. FELICITAS SAECVLI. Figura est stolata stans, dextra pateram super ara, sinistra caduceum tenens.

14. Felicissima denique omnium est reparatio temporum, quae beata sit morte. Hoc nimirum innuit, nisi fallor, numus *Constantis* et *Iuliani*, cum inscriptione FELIX TEMPORVM REPARATIO, apud de *Bie* Imper. Rom. Anr. Numism. *Tab.* LV. N. 6. Conspicitur ibi *Phoenix auis orbi stellato insistsens, caputque lumine corusco radiatum habens*. Notum est hoc symbolum in Apotheosi, siue Consecratione Augustorum et Augustarum, conf. *Boebelii Disp.* IV. it. *Christ. Cnorr Disp. de Consecratione ex numis illustrata Lips.* 1660. Hinc auguror, in *Iuliani* obitum hunc numum esse cufum. *Eutropius* certe *Libr. X Cap. 8* *Iulianum inter diuos relatum esse, refert*. Ex parte *Iuliani* quidem, felicem hominis reparationem morte eius



eius factam affirmare non ausim: facta tamen est temporum, ex parte Christianorum, qui laeta et tranquilla omnia, ex eo tempore, sunt experti. Orbis stellatum, rerum coelestium symbolum, mihi in memoriam reuocat Laur. Begeri: *Contemplationem Gemmarum quarundam Daelyliorbecae Goralaci*, qui, ex auriga quadrigario eoque laureato, inter septem stellas currum quam citissime agente, *Phaethontem* facit, *stellis fixis incurstantem*. Sed neque currus ea arte factus est, prout eum depingit Ouidius: Et si vel maxime demus, indulgisse ingenio suo aliquid Poetam; nec auriga, neque equi, utpote igniuomi, tales sunt, ut de Phaethonte cogitare nos sinant; auguror itaque, etiam hanc gemmam consecrationis imaginem exhibere. Etenim in rogis iis, quibus consecrationis Augustalis memoria conseruatur, frequentissime quadrigarum imaginem exhiberi videmus.

15. Et haec fere sunt, quibus Felicitatem Temporum contineri veteres credebant. Sed tributa est haec Felicitas Imperantium quibusdam ex merito, quibusdam, ex adulatione Senatus et aulicorum, etiam non merentibus. Primus, quantum memini, numus cum inscriptione: FELICITAS PVBLICA S. C. extat *Galbae* apud Oeconem p. 139. indigni profus hoc titulo. Exhibet etiam Morellius saepe laudatus Tab. XVII. numum *Commodi*, cum inscriptione: KOMOΔOT BACIAETONTOC O KOCMOC ETTTXEI. Sed Felicitatem orbis, quam numus loquitur, populi subiecti nequaquam fuerunt experti, quin potius, ob imperium crudelissimum, vixerunt infelicissimi. Eadem adulatione vsi Laodicensis erga *Caracallam*, imperatorem pessimum, in numo supra §. II a me laudato. Item in numo *Elagabali* supra §. IO allato; quasi vero felix, sub tali monstro, respublica esse potuerit? Placuit hoc genus adulationis Imperatorum pessimis adeo, ut cognomen a Felicitate sibi adoptarent. Vsus est eo *Commodus* apud Oiselim Tab. V. N. 4 in numo, cuius Inscrip̄tio est: COMMODVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. BRIT. (*Augustus Britannicus*) Eumque secuti *Gordianus Aemilianus*, *Macrianus Iunior*, *Quietus*, et ab hoc, labente imperio, reliqui fere omnes.

Quo titulo quamquam nullum magis inclaruit saeculum, quam in quo Octavius Augustus imperio praefuit; nullum tamen vestigium in numis extat, aut ipsum appellatum fuisse *felicem*, aut illius saeculo, tributam esse *Felicitatem*. Scilicet viguit tum aliud genus adulationis, quo Imperatores vel ipsi dici vellent DIVI, vel DIVORVM filii: Ita videre est numos Augusti cum Inscrip̄. AVGVSTVS DIVI F. Hanc gentium profanarum vanita-

QNTm 956

x 3362694

VD
18.

tem, quanquam nos, Christi doctrina meliore imbuti, detestamur; nihil tamen impedit, quo minus principes ac magistratus, cum Mose et Dauide, *Diuos Deique filios*, vocare liceat. Ac nos quidem iure meritoque laetamur, quibus, diuino munere, **CHRISTIANVS GVN-
THERVS**, Princeps Optimus obtigit, natus in Saeculi sui felicitatem. Siquidem Serenissima Familia suauissimo amoris concordiaeque vinculo ita tenetur, vt ciues, sub arboris huius amoenissimae vmbra, omnium rerum copia abundant: pax, quae dei est benignitas, intra fines nostros adhuc vigeret, nec quidquam est, quod studio ardentiore Deum oramus, quam vt frui ea perpetua contingat. Caeterum laeta omnia non praesentes solum contuemur, sed spe etiam praecipimus, nec temperare nobis possumus, quo minus in festa faustissimi diei celebritate, etiam affectus noster, diu intra pectus colluctatus, erumpat, aliquot iuuenibus interpretibus, qui, pro virium modulo, demonstrare satagent, et quidem

- I. IO. CHRISTIAN HEINEMANN, Arnst. *Legibus iuste sapienterque latis felicitatem publicam contineri.*
- II. IO. FRID. CHRISTOPH. HARTMANN, Arnst. *Summam felicitatis publicae in pace esse atque securitate.*
- III. FRID. GOTTLIB BEIER, Arnst. *Flore agriculturae felicitatem publicam promoueri.*
- IV. IO. IACOB. KIRCHHEIM, Osthus. *Concordia quantam vim habeat ad felicitatem publicam.*

Primus et tertius Oratione Latina; reliqui sermone patrio vtentur.

Qui in Musarum nostrarum, de Optimi Principis salute laetantium piaeque vota, pro eius perennitate, vota facientium, communionem veniunt, eos omnes, qua decet pietate atque obseruantia, inuitatos esse ad hanc panegyrim volumus crastina luce, post finita sacra, in Auditorio Maiore agendam. P. P. Arnstadii, ipso die Iohanni Baptistae sacro A. 1766.




Q.K.
435
48.

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



II m
956

GRAMMA

DE
EX NVNMIS ILLVSTRATA

NATALITIAE

II PRINCIPIS AC DOMINI

OMINI

NI GVNTHERI

SCHWARZBURGICI

COMITIBYS, COMITIS HOHNSTEINIT,
DERSHVSÆ, LEVTENBERGÆ, LOHRAE,
EL. ORDINIS HVBERII PALATINI
EQVITIS REL.

RIS CLEMENTISSIMI

RAEMISSVM

A
TLIEB LINDNERO
RECTORE,



ORPHANOTROPHEI, cl^o 13^o cclxx.

R. D.